—60 nd! Halle-Wittenberg
Lane Medical Library

DE ACEPHALOCYSTIDIBUS EX CASU QUODAM ILLUSTRATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS HALENSIS

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

RITE ADIPISCENDOS

DIE IV. ANTE CALENDAS OCTOBRES

UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

HERMANN SCHOLBER
SAXO-BORUSSUS

CONTRA ADVERSARIOS:

H. KRUPP, MED. ET CHIRURG. DD.
A. IAWORSKI, MED. ET CHIR. CAND.

1839

HALIS
FORMIS EXPRESSIT SEMMLER.

LANE MEDICAL LIBRARY
300 PASTEUR DRIVE
PALO ALTO, CALIF. 94304

VIRO

AMPLISSIMO ERUDITISSIMO

INTEGERRIMO

GUIL. NIEMEYER

MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORI
MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI
CLINICI OBSTETRICII HALENSIS
DIRECTORI

etc. etc.

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO

C. BESSER

MEDICINAE AC CHIRURGIAE DOCTORI
EXPERIENTISSIMO, MEDICO APUD ZIZENSES PRACTICO,
CIRCULI ZIZENSIS PHYSICO
SUMMOQUE HOSPITII VESANORUM ZIZENSIS MEDICO
OPTIME MERITO.

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Introductio.

Doctrina de novis formationibus, quae cum organismo non intime coniunctae sunt, versatur in entozois et calculis describendis, atque omnes novae vivi organismi formae paucis his verbis exponantur: Entozoa gignuntur generatione spontanea, nisi longe alio modo ab aequalibus paternis maternisque organismis pariuntur, et constat praeterea, a maximo entozoorum numero neque ova pari, quae quidem conspici oculis possint, neque vivos pullos procreari. Etiam est certissimum, multa eorum distinctis genitalibus esse instructa atque more aliorum animalium coire; calculi contra exoriuntur ex chemica quadam praecipitatione. Entozoa vitam agunt suis legibus rectam, et a quo organismo continentur, ab eodem aluntur et conservantur, atque etiam plerumque potestatem possident genus suum propagandi; calculi autem semel orti non mutantur, nisi continuis varietatibus mixtarum materiarum, quibus ortum suum debent. Calculi igitur novarum humani organismi formarum sunt infimae et imperfectissimae, entozoa vero summae et absolutissimae. Rationes pro entozoorum origine, quae per longam annorum seriem multorum eorumque doctissimorum virorum attentionem sibi vindicarunt, hoc loco praetermittens, satis habeo,

hanc, qua de organismo horum animalium agitur, observationem adnotasse: Entozoa, quod nomen a Rudolphi, celeberrimo Helminthologo, iis inditum est, sive vermes intestinales, distincta organa respiratoria non habent, quapropter necesse est, oxygenium per ea corpora, quibus inhabitant, vim in illa exercere; neque ullum systematis circulationis vestigium in iis repertum est, atque nervi vel in eorum perfectissimis adeo obscuri sunt, ut etiamnunc, utrum vere nervi sint necne, dubii haesitent viri doctissimi. Iam Monro contendit, adesse in iis et vasa et nervos, sed idem addit, has partes minores esse, quam quae oculis possint discerni: sed maioris momenti videntur esse eae observationes, quas Ehrenberg microscopio adhibito instituit, quibus multi errores corrigentur, multaque nova de tam homogenea, quae putabatur, structura proferentur.

Cap. I.

1. Divisio entozoorum cysticorum.

Entozoorum cysticorum genera apte discernuntur in

I. Cysticercus,
II. Polycephalus,
III. Diceras,
IV. Echinococcus,
V. Acephalocystis.

In qua re sequor divisionem a Cloquet, Portal et Beclard institutam; est enim haec nihil nisi Rudolphici systematis immutatio. Nonnulla horum generum neque raro inveniuntur, neque in solis inferiorum ordinum animalibus observantur. Sed nos illud potissi-

mum describendum sumpsimus, quod ad acephalocystides pertinet; quae vero sint entozoorum organismi diversitates vel quantitativae, vel qualitativae, quae vocantur, haec iis, qui zoologiae, anatomiae comparatae et physiologiae operam navant, accuratius contemplanda relinquamus.

2. Descriptio saccorum atque acephalocystidis.

Quum optimi scriptores ne quaequam vesicula nomine hydatidis nuncupetur diligentur moneant, Laennec bene meruit de nomine aptissimo, quod iis animalibus dedit, de quibus iam sermo est; nominabat enim acephalocystides. Facile enim confunduntur cum vesiculis, quae haud raro inveniuntur in ligamentis uteri latis et in hepate, quae minime acephalocystides nominari possunt. Sunt enim illae vesiculae nullo alio modo formatae, quam amplificatione organi parenchymatis, quae ex aggregatione liquoris effecta est; de qua quidem harum formationum cognitione hoc tempore Britannicus ille Hodgkin *) bene meritus est. His vesiculis Meckelius generale nomen tumorum cysticorum dedit, quum quaque eorum careant proprietate, quos tam praeclare veris acephalocystidibus adnumerat **). Merito igitur de illis confirmari potest, eos neque ipsos suae vitae conditionem habere, neque omnino in quovis organisationis gradu vivere posse. Casum quendam huc pertinentem observasse memini tum, quum museum anatomicum, quod Halis floret, visebam, hac a Meckelio ipso nota consignatum. „Hepar viri L annorum; cystides rarissi-

*) Lectures on the morbid Anatomy of the serous and mucous membranes. London 1836. p. 181.

**) Meckel's Handbuch der pathologischen Anatomie, Bd. 2. Abth. 2. p. 411.

mae in lobo dextro et sinistro, sero non acephalocystidibus repletae; casus ob absentiam acephalocystidum in tumore cystico hepatis rarus. Hae productiones autem haud scio an sint sola aquis repleta involucra ovi, si vere semper, ut Rudolphi opinatur, generi echinococci hominis adnumeranda sunt, quum tum quidem hydatis in interiore parte vermibus obducta fuerit *). Alius casus observandi idem museum copiam mihi fecit: saccum enim cysticum extra ovarium dextrum sanum formatum vidi, magnitudine pugno virili similem et pellucido humore refertum, quae productio facile sed perperam cum acephalocystide commutari potuit. — Laennec acephalocystides eo discrimine ab omnibus ceteris vermibus vesicalibus separavit, et quod capite, cornu, et proboscide orbatae sunt, et quia alio modo coëunt pariuntque. Probatum enim id esse censet, pullos in maternae cystidis involucris quasi maturescere et maturos divelli, ut vel extrorsum vel introrsum in matris cavum cadant. Qui pulli si eodem modo in id quod ipsi formant cavum pullos eiiciunt, sequitur inde plures cystides inter se esse involutas. Quod discrimen etiam Meckelius laudat, qui tantum addit plerasque earum acephalocystidum, quae in uno eodemque individuo atque in uno loco inveniuntur, vario modo genus propagare videri; unde igitur specificam earum diversitatem erui posse negat **).

Acephalocystides semper tumore cystico sunt involutae, nec nisi rarissime solutae et liberae in cavitate natantes observantur; tumor autem cysticus in formandis acephalocystidibus tam raro abest, ut omnino hoc fieri posse nonnulli viri clarissimi negaverint. Casuum illorum, quibus tumor cysticus adest, animal autem ipsum abest, supra mentionem fecimus.

---

*) Chemnitz Dissertatio de hydatidibus echinococci hominis Halae 1834.

**) Meckel l. c. p. 411.

Sacci acephalocystidibus referti formam et structuram optime cognoscemus, si saccum illum, quem descripsi *), in quem hepatis lobus sinister mutatus est, contemplaverimus. Sacci enim ipsius partes diversa sunt crassitudine, quippe quae a linea dimidia ad tres crescant, quarum densiores partes semisphaericae in marginibus magis magisque extenuantur; constat denique ex lamellis, quae sectione transversa apparent, et quarum numerus pro crassitudine sacci varius ille quidem, sed semper in locis densioribus magnus dicitur esse. Lamellae crassae sunt, transverse dissectae aeque splendent atque telae fibrosae. Densior sacci pars, si persecta est, speciem cartilaginis transverse sectae, prae se fert. Striae singulae, quae brevi tela cellulosa inter se continentur, dirimi nullo labore possunt; color earum vel subflavus vel albus est; internus autem sacci paries flavo colore, inaequalis, aliis in locis granulosus et stratis calci similibus asper apparuit. Tumor cysticus repletus est liquore maxime pellucido interdum tamen flavescente et turbato. Hunc liquorem calore coagulabilem, magnopere illi aquae similem, quae in hydrocephalis reperitur asseverant, quoniam perexiguam animalis materi ei copiam contineat. Sed quum quondam experimentum fieret cystide magna in hepate pueri septem annorum nati inventa, calore mutatio nulla facta est; quod quidem cum observationibus a Cruveilhier institutis consentit. — Acephalocystides in sacco accumulatae, ne una quidem ex parte cum circumiecto tumore cystico coniunctae sunt; inter utrumque enim iacet plerumque exile et asperum stratum massae cuiusdam subflavae, semicoctae, quae pro substantia ex acephalocystide separata haberi potest.

Acephalocystides ipsae, ratione habita earum,

*) Cf. de cadaveris sectione appendicem.

quas reperire aliquando *) mihi contigit, ita fere exponuntur: magnitudine a piso ad ovum usque anserinum accedunt; forma earum sphaeram refert, fluido repletam, cuius tunica plura in strata partim lactea, partim pellucida dividenda est, ita ut alterum latus plerumque minus pellucidum altero sit, cetera autem pars parietis vitri instar luceat. Haec autem turbatio partis alterius lacti concreto posteaque agitato non dissimilis, quum esset et albo lactis colore et granulosa; densiores quoque illo loco lamellae. Quod quidem mihi ita factum videtur, ut altera acephalocystis alteri ex quodam latere magis appropinquarit, eamque presserit, praesertim quum locus parietum, quem diximus turbatum, in stratis exterioribus in maiorem altitudinem prosiliret, quam in interioribus. Intra acephalocystides, quum lumini appropinquabantur, puncta parva lactea partim interno parieti affixa, partim in humore illo natantia apparebant; simulque inter haec puncta fibrillae tenuissimae, punctis vel maiores vel minores, agitabantur. Observationibus autem microscopio adhibito institutis cognitum est, haec puncta nihil esse nisi maiores minoresve vesiculas.

Has vesiculas Steinbuchius fig. IV. expressit, easque Taeniae hydatigenae attribuit **). In eo genere, cui praecipue acephalocystidis nomen tribuitur, totum animal ex una vesicula compositum est. Aliis autem vermibus vesicalibus corpus est pro animalis magnitudine minimum et caput taeniarum capiti non ita absimile, quod variis et tentaculis et apparatibus suctoriis instructum videtur esse.

3. De natura acephalocystidum.

Quod ad naturam harum cystidum attinet, magna adhuc hac de re viget opinionum discrepantia. Alii

*) Vid. historiam morbi sub finem enarratam.
**) Commentatio de Taenia hydatigena etc. Erlangae MDCCCII.

enim eas esse organismos, distincta quidem vi vitali praeditos, sed perquam imperfectos opinantur; alii autem, Cuvieri et Rudolphii observationibus innisi, perpaucos eorum vermium vesicalium, qui sunt expresso organismo praediti, pro veris animalibus habent. Quam victrices sint Meckelii rationes, quibus Rudolphii opinionem, qui illos animalia esse negat, refutat, iam supra memoravimus. Equidem pro mea parte magis primae sententiae adstipulor.

Acephalocystides autem recens natae putantur ex diversis maternae cystidis partibus procreatae, ad quas multi VV. DD. parvos pullos affixos reperiebant modo ad interiora, modo ad exteriora matris latera. Rectior autem et probabilior haecce mihi videtur esse opinio, pullos nisi in interiore cystidis latere non gigni, neque ullo alio tempore hos ad magnam maternam cystidem alligari, quam tum, quum perparvi sint atque quasi embryoni assimiles. Pulli enim, etiamsi nondum centesimam transversi pollicis partem adaequant, tamen plerique soluti in materno liquore possunt animadverti; atque nec tum nec postquam adoleverunt aut collo aut alio quolibet vinculo cum matre esse copulati videntur.

In interiore maternae cystidis superficie haud raro magnus excrescentiarum numerus cernitur, quae, quantumvis sint et ordine et magnitudine diversae, tamen numquam mediocrem mensuram superant. Maculae autem opacae albescentes in membranis tumoris cystici non in sola interiore planitie consistunt, verum occasione data etiam in exteriore deprehenduntur. Diametrum eorum interdum dimidiam vel tertiam pollicis partem aequat, atque modo annuli speciem prae se ferunt cum superficie aspera, modo uvae vel potius brassicae Pompeianae. Hae asperitates acephalocystides crescentes esse creditae sunt, atque quas diversitates exhibent, eae fere pro notis signisque trium acephalo-

cystidum specierum et habitae sunt et etiam nunc habentur. Quorum ad sententiam ego vero ut accedam, tantum abest, ut cum his consentiam, qui contendant, multos horum tumorum esse morbosas maternae cystidis excrescentias, atque reliquis sine ullo dubio locum significari, unde pulli iam soluti sint. Quod Hunter arbitratur, minores vermes vesicales semper in ea aqua exoriri, quae maiores continuerit, hoc Meckelius rationibus sat idoneis refellere conatus est; et ab hoc institutae inter horum animalium folliculos et ovorum involucra comparationi, observationibus recentiorum scriptorum, quas supra memoravimus, maior in dies auctoritas tribuitur. Quicunque enim nostris temporibus his rebus operam navarunt, omnes in eo consentiunt, adolescentes, qui videntur, pullos non tam in interiore, quam in exteriore maternae cystidis superficie sedem habere, atque fortasse accidere, ut vetus cystis dirumpatur quasi obsoleta et progeniei locum relictura. Verum et vetus cystis et recens nata lamellosam, quae dicitur, structuram prae se fert sine striis uniformibus et utraque omnibus ex partibus globum exprimit. Interdum autem, sed rarissime observantur cystides, quae cum his, quas exposui, signis non consentiunt. Complures enim acephalocystides non tam globosae sunt, et vitri illius, quo horologium tegitur, figuram exhibent, quo fit, ut acephalocystides non in duas partes aequales dividantur, sed altera pars peninsulae similior sit, quae tamen membra in aliis speciminibus maiora in aliis minora erant. Id autem constat inter omnes, has membranarum divisiones, vel ut hoc verbo utar, hos attritus pendere ex strato exteriore, e quo lamellosa acephalocystidum membrana composita est; quum remoto strato etiam attritus ille prorsus remotus sit. Observatae autem sunt hae proprietates tam in compluribus in uno eodemque homine viventibus acephalocystidibus,

quam nonnullis aliis in casibus. Quae sequitur proprietas, semel tantummodo est observata; paucae acephalocystides transversi pollicis diametrum adaequantes opacas exhibuerunt albasque lineolas, quae quidem recta via procurrentes semel vel bis sunt diffusae, quarum autem uterque ramus similem illi formavit angulum unde exierat, cursumque rectum dirigebat amplius, neque declinans usquam neque in anguli formam sese contrahens. Secundariarum acephalocystidum sunt aliae coloris lactei, pellucidae totae aliae, lentisque figurae optime respondent. Variis hae temporibus videntur oriundae, vel etiam variis celeritatis gradibus excrevisse; communibus tandem effectibus exuberantium cystidum discedit emoriturque materna. In tali vermium collectione haud raro usu venit, ut inveniantur, qui vi sua vitali egere videantur.*) Vita harum parasitarum brevis esse fertur; quae in porcis atque ovibus obviae sunt acephalocystides verno tempore exoriri dicuntur, hiemeque consequente mori. Certo tamen est certius, in hominibus et vita continuata acephalocystidum individuarum et generum aequalium sequela non solum existentiam prolongari et efferri, sed per longum etiam temporis spatium effici, ut, qui contineant tumorem cysticum talibus vermiculis commixtum servati crescant ideoque magis magisque adaugeantur,

Eas autem notas, quas nos statuimus, hae acephalocystides exhibuerunt, de quibus sub finem in cadaveris sectione sermo erit.

Quod ad aetatem et diametrum attinet, omnes fere varietates, maxime secundariae originis, expresserunt; quum plures tam pusillae fuerint, ut cystide primaria nihil nisi liquor pellucidus contineri videretur; sed disquisitione accuratiore instituta magna minimorum nucleorum multitudo sicut et laminae pellucidae arenisque simillimae deprehensae sunt. In nonnullis

*) cf. de secto cadavere appendicem.

formis secundariis maxima erat humoris copia et magnitudo adeo varia, ut ab arena usque ad ovum atque etiam malum distenderentur. Aliae praeterea cystides secundariae non natabant in humore materno, sed speciem prae se ferebant multorum nucleorum, pulpae mali granati fere simillimam.

Quod vero interdum accidit, ut acephalocystides singulae reperiantur, quum alias admodum numerosae sint, ea re suspicio mota est, quasi haec sit nota et signum specificum; et inde factum est, ut species acephalocystidum solitaria e r e m i t a e, reliquae s o c i a l e s vocarentur.

Cap. II.

Conspectus organorum, in quibus acephalocystides reperiuntur saepissime.

Quamquam acephalocystides haud saepe in corpore humano inveniuntur, tamen non admodum rarae sunt; atque ex comparatione omnium casuum elucet, nullum fere neque parenchyma neque organon corporis esse, in quo illae nondum inventae sint; eodem modo nulla est aetas, in qua vermes illi non exstent; narrat enim Portal, illos etiam fuisse in foetu; immo ipsa mammalia frigidi sanguinis iis non carere videntur. Quod attinet ad hominem, in his praecipue organis acephalocystides inveniuntur:

Praecipue sedem habere videntur in cavo abdominis et quae eo continentur organis. Proferuntur tamen a Meckelio *) casus, ubi nullo in singulo alvi organo acephalocystides domicilium quasi suum collo-

---

*) L. c. p. 413.

casse testatur. Sed si casus, quos ille probat, diligenter inter se contuleris, hepar plerumque acephalocystidibus repletum esse invenies. Raro inveniuntur in lobulo hepatis sinistro, atque rarius etiam in splene. Saccum acephalocystidibus refertum, inter lamellas ligamenti suspensorii hepatis formatum, in praeparatis pathologicis nosocomii, quod Halis floret moderatore Krukenberg me vidisse memini. Rarius quoque in pleuris et pulmonibus deprehenduntur; erat mihi in polyclinico medico Halensi foeminae observandae potestas facta, quae, postquam ante plures annos pneumonia affecta fuerat, dyspnoea laborabat, indeque compluries tussiendo acephalocystides eiecerat. Ex muliebribus genitalibus uterum nonnumquam sedem acephalocystidum appellare liceat; quas tamen cave ne cum placentae degeneratione, quae mola hydatica vocatur, confundas et commutes. Sed mirandum profecto est, quod non frequentius in ovariis eas observare possumus, praesertim quum vis huius loci vitalis procreandis formandisque folliculis,*) interdum capillos, dentes ossaque continentibus, in primis sit memorabilis. In virilibus autem genitalibus haud raro reperiuntur cystides inter tunicam vaginalem communem et funiculum spermaticum; in ipsis vero testibus numquam observatae sunt. Utriusque sexus renes saepius referti sunt acephalocystidibus. In vesica quoque urinaria eas inventas esse omnes consentiunt; ac memini casum ante aliquot annos inter aegrotos medici cuiusdam obvium fuisse, qui probat eas ibi inventas esse. Medicus enim ad foeminam quandam vocatus, quae iam pridem conquesta fuerat de stranguria, eam invenit retentione urinae coniuncta cum acerrimis illi propriis doloribus vexatam; et quamvis catheter statim applicaretur, urinae tamen ne guttula quidem elici potuit, et paracentesis vesicae per intesti-

*) de his formationibus cf. Meckel Archiv. Bd. 1 p. 519. 1815. Pathalog. Anatomie Bd. 2. Abth. 2. p. 427.

num rectum instituta est; quo factum ut una cum urina magna maiorum minorumque acephalocystidum copia removeretur. Neque rarius observantur in ventriculis cerebri;*) quamquam hic quidem dubitari poterit, utrum hae vere acephalocystides sint. Perfrequentes sunt autem acephalocystides plexuum chorioideorum cerebri, licet Henry Iames has in parasitas nostras referendas esse neget**). Exempla acephalocystidum in cerebri substantia repertarum enarrat Meckelius. Quin in glandulis quoque interdum sedem habeant dubium non est, et quidem tam in glandula thyrioidea quam in glandula lacrymali nobis occurrunt. Cystides autem in mammis mulierum inventae verae acephalocystides non sunt***). Interdum musculi acephalocystidibus creandis locum dant. Saepius etiam eas in ossibus †) deprehendi, exemplis a Meckelio narratis probatur. Acephalocystides in bursis quoque musculorum mucosis et circa ligamenta ossium capsularia inventas esse a Schmidtio ††) casu quodam notatur. Respiciendi denique sunt ii casus, ubi acephalocystides in substantia musculi cordis inveniebantur; quorum quidem casuum Meckelius haud excepto eo, in Museo exposito, ubi in substantia ventriculi cordis sinistri acephalocystis mirae magnitudinis sese formaverat, quinque proposuit.

---

*) cf. Schmidt's Iahrbücher Bd. 21. Heft 3. 1839. p. 295.

**) Tumores hydropici in foeminae cuiusdam ventriculis lateralibus cerebri inventae huc non pertinent. Pauca de iis Meckelius l. c. p. 431.

***) Quam Adam proposuit opinionem cancerem proficisci ex acephalocystidum ortu, eam Meckelius examini subiecit; et ipse hydatidem carcinomatosam esse dicit. L. c. p. 348.

†) l. c. p. 438.

††) Schmidt's Iahrb. 21 Bd. Heft 3. p. 305.

Cap. III.

Nonnulla ad curam morborum, qui sequuntur acephalocystides, pertinentia.

1. Cura chirurgica.

Quod auxilium ad acephalocystides removendas ferri potest, instrumentorum tantum ope praestatur. Quum enim observatum esset, quam salutaris est abscessuum in hepate iacentium arte effecta evacuatio, factum est periculum aperiendorum folliculorum serosorum, quatenus instrumentis tractari possunt. Quae opinio suffulta est casibus, in quibus eiusmodi folliculi sanati sunt, postquam sua sponte per involucra abdominis humores eiecerant. Sed e contrario sectiones talium folliculorum hydatidosorum, qui perperam pro abscessibus habebantur, tam mali casus secuti sunt, ut haec methodus non admodum probabilis videretur, quamquam hi quidem exitus infelices ex aegroti valetudine iam debilitata proficisci putandi essent. *Recamier* *), qui complures homines ex nimia acephalocystidum copia laborantes curavit, hanc sanandi rationem, nisi locus sit inaccessus, semper indicatam habet.

Iam afferam casum, ex quo eluceat, aegrato auxilium ferri posse, si locus operationi est aptus **);

*) Schmidt's Iahrbücher Bd. 4. Heft 3. p. 305.
**) Revue médicale. Januar 1823.

Sartori cuidam sex et triginta annos nato, quum hepatis morbo afficeretur, hydrargyrum et acida mineralia dabantur. Medicus, saccum acephalocystidibus repletum adesse putans, operationem scalpello instituendam esse censuit. Facta ab umbilico ad processum ensiformem incisione, ibi enim maximus erat tumor, immensa acephalocystidum effluebat copia, ita ut adhibita levi compressione ad bis mille hydatides exprimerentur, praeter duos tresve liquoris cantharos. Quarum quidem acephalocystidum forma sphaerica erat et a magnitudine ovi anserini ad pisi; liquor albumini similis erat et in calore non coagulabat. Quatuor hebdomades post, primum foetida et faeculenta, deinde purulenta materia defluxit ex sacco evacuato. Tribus annis praeteritis medico illi nuntiatum est, aegrotum bona uti valetudine.

2. De vi naturae mediatrice ad removendas acephalocystides.

Quod ad viam, quam natura ad removendas acephalocystides ineundam monstrat, attinet, satis habeo, haec tantum adnotasse: Tumores hydatidosi aut via communicante iunguntur vel cum corporis superficie vel canali cibario vel alia qualibet externa apertura, quibus eiiciuntur; aut moriuntur animalia absorbeturque eorum liquor et remanent membranae innoxiae intra tumorem cysticum circa eas se contrahentem. Haec sententia exemplis confirmatur, quibus traditur, cicatrices observatas esse in superficie hepatis.

Hodgkin *) casu a se observato hanc opinionem imbibit, naturam, si acephalocystides in hepate inveniantur, bile quoque ad eas interficiendas uti; atque

*) l. c. p. 194.

suspicati etiam sunt VV. DD. tumorem cysticum durari adeoque in os mutari, quo efficeretur ut acephalocystides intermorerentur; potius autem mihi videtur ossificatio tumorum cysticorum tum demum incipere, quum acephalocystides iam sunt exstinctae.

Casibus, quibus confirmatur, naturam ipsam, remotis acephalocystidibus, aegroto quasi mederi, ii adnumerandi sunt, ubi maior vel minor earum copia per anum *), deinde ubi per urethram defluxit. Quem quidem exitum per urethram Dr. Schmidt, Grifiswaldensis, compluries in viro quinquaginta annos nato observabat; dicit is enim, aegrotum illum laborasse stranguria, interdum et ischuria; tum, quum admodum presserit, vesiculas magnitudine fabae ad nucem expulsas esse, quae e pellucidis membranis constantes, claro liquore completae fuerint.

Vehementiores autem molestiae effectae sunt secretionibus maiorum concisarum membranarum, quas verisimile est inde proficisci, quod magna acephalocystis sit dirupta **).

Dr. Hoering ***) exemplum observavit scitu dignissimum, in quo acephalocystides, quae in pulmonibus viri XLII. annorum fuerant, se ipsae evacuaverunt; et refert, persuasum sibi esse, eas reconditas fuisse in vomica, quia totae pure erant obductae. Hanc opinionem suffulcit is, qui a Meckelio enarratur casus, ubi, quum corpus hominis, qui vivus acephalocystides eiecerat, dissecaretur, plures earum in vomica inclusae repertae sunt. Exemplum autem, quod modo attuli, de viro narratur, qui, postquam eiectionem illam

---

*) Meckel l. c. p. 417.
**) cf. Berliner medicinische Centralzeitung v. J. Lachs v. Jahrgang 1836. p. 117.
***) dieselbe p. 902.

perpessus est, rursus convaluit, neque unquam, nisi interdum de tussi conquerebatur.

Quae vero acephalocystides si neque arte removentur, neque eodem modo, de quo iam egimus, evacuantur, atque si tumor cysticus per tempus quasi quietus adfuit, tum autem amplificatur et magis intumescit, accidit interdum, ut saccus aut sua sponte rumpatur, aut caussa quadam externa turbatus extrorsum solvatur. Quod si obtigit, sequitur inflammatio et emollitio loci alicuius partium prope saccum sitarum eumque formantium, quo fit, ut vel extrorsum vel in aliud quodpiam nobiliorum vicinorum organorum sese effundant. Hoc quidem posterius si evenerit, tum auxilium a medicis ferri non posse, demonstratur et exemplis ab Hodgkin allatis et eo, quod mihi observare contigit; quod iam expositurus sum.

Historia morbi.

Therese P...k ex pago quodam, qui est Halis vicinus, oriunda annum agens vicesimum nonum corpore gracillimo a teneris annis valetudine usa est optima, quum primam aetatem exegisset sanam nec nisi levioribus morbis nonnumquam turbatam. Annos autem quindecim nata ictum perpessa est in hypochondrium dextrum quem tum sequebatur tumor firmissimus ex intima hypochondrii dextri parte oriundus, pugno virili magnitudine similis, qui tamen nullos dolores excitavit. Tribus post annis menses sine molestiis profluere inceperunt, qui inde ex hoc tempore et quod ad tempus et quod ad qualitatem quantitatemque regulares fuerunt. Brevi tempore antequam viro nuberet, sensit aegrota tumorem adaugeri, abdomenque intumescere. Sed quamvis nimiae copiae sensu gravaretur, nullo tamen alio dolore affecta est. Sex mensibus praeterlapsis abortum fecit, quem vehemens metrorrhoea secuta est; sed quum remedia adhibita sint aptissima, mox sanata est, etiamsi denuo non concipiebat, inde a quo tempore morbis non ita vexata est. Tumor autem ille una cum intumescentia dextri hypochondrii et reliqui abdominis paulatim crescebat, ut iam, quum et ob virium debilitatem et propter doloris vehementiam per octo dies lecto descendere nequiret, maximo volumine esset

conspicuus. Huc accesserunt vehementissimi dolores totius abdominis, quibus cognati aegrotantis, ut medicum arcesserent, coacti sunt. Erat autem conditio mulieris haec: Facies pallida et squalida, labia sicca, lingua fusca arida, abdomen quam maxime dolens praesertim in epigastrio et in hypochondrio dextro; cutis abdominis, quamquam vehementer distenta, sana apparebat. Ciborum capiendorum appetitus imminutus erat, quum duos dies obstructione alvi laboraret. Pulsus praeterea admodum frequens; affecta quoque erat aegrota dyspnoea, et quum abdomine vehementer distento tum acerrimis doloribus impediebatur, quo minus corpus in lecto sua sponte erigeret. Per ventris integumenta in hypochondrio dextro (cuius infimae costae tumore firmo magnitudine caput infantis adaequante, extrorsum remotae erant) protuberantia cum illo coniuncta sentiebatur, quae ab umbonis latere usque ad spinam anteriorum superiorem dextram pertinuit, atque, ut est percutiendo et auscultando observatum, ad quartam costam in thoracem prominuit. Cohaesit autem ab anteriore et interiore parte supra umbonem cum alio tumore, (qui forma lobulo hepatis sinistro dilatato similis, aequaliter distensus erat) commissura palmam lata, in cuius inferiori margine incisura perspicue discerni potuit. Percusso abdomine in omnibus locis tumori respondentibus sonus obtusus est auditus, in reliquis locis sonus intestinalis. Ex pectoris exploratione in latere dextro usque ad costam quartam et in sinistro inde a quinta costa sonus obtusus est perceptus; cor e loco suo in sinistram superiorem partem remotum erat; rhonchus autem respirationis in illis locis, qui in percussione obscure sonabant, non auditus; soni spurii non percepti. Quibus ex indiciis partialis inflammatio peritonaei per iecoris degenerationem, cuius natura post mortem

demum apparuit, effecta cognoscebatur, ideoque antiphlogistica cura adhibita est; inflammatione autem remota cura palliativa accessit, quando quidem cura radicalis admitti non potuit. Interim omnibus remediis nihil effectum est, nisi ut aegrotae dolores obiter modo atque in breve tempus sublevarentur; quamquam enim febris vis est occisa doloresque minuti, dyspnoea tamen et insomnia quae inde accedente tussi spastica ortae erant, minui vix potuerut. Tussis quidem, quamquam in pectore nil abnorme auditum est, adeo crevit, ut aegrota ad dolores, qui motu et concussione efficiebantur, minuendos, maxima anxietate omnes res, qnas manibus capere poterat, pressaret et firmiter teneret. Eadem vehementia, postquam per octo dies tussis tenuit, non magna quidem cum aegrotae sublevatione, tumida facta est, atque liquor eiectus tenuis purulentusque, qui saepenumero tanta vi tantaque copia in trachea surrexit, ut totum aegrotae os impleret ac paene cum suffocatione eructaretur; in pectore rhonchus mucosus auditus est. Vires aegrotae manifesto fractae sunt, febris hectica cum frigore periodico, sudoribusque profusis exorta est, quibus postea accessit diarrhoea. Quae conditio postquam decem dies durarat, per quod tempus aegrotae dolores vel diligentissima cura ne aliqua quidem ex parte levabantur, marasmo exstincta periit. —

Sectio cadaveris.

In sectione, vicesima quarta hora post mortem instituta, qua nisi cavum pectoris abdominisque nihil apertum est, haec signa observata sunt:

Fere totum cadaver siccum erat et extenuatum, exceptis pedibus et cruribus, quae erant tumida et oedematosa. Tumores autem, qui vivo adhuc homine ibi ita apparuerunt,

ut sensim inter se concrescerent, hi erant: qui ad sinistrum latus maxime eminebat, forma non fuit dissimilis lobi hepatis sinistri dilatati; dexter autem usque ad umbilicum et regionem hypochondriacam sinistram pertinuit; alter ex regione hypochondriaca dextra descendit ad inferiorem umbonis partem, neque vero tam longe processit, quam is, quem primum descripsi; inter utrumque rictus rotundus sentiri potuit; tertius denique, qui fuit maximus et durissimus totusque in dextra parte situs, pedetentim cum ceteris coaluit. In his duobus posterioribus fluctuatio non plane clara percepta est, clarior contra in tertio. Percussio porro loci modo descripti fuit obtusa, quae vero infra eum iacuerunt partes, multo acutiorem sonum retulerunt. Eodem modo ex percussione tumoris supra regionem hypochondriacam dextram iacentis usque ad costam tertiam, sonus perceptus est obtusus, in reliquis pectoris partibus percussio sonora.

Postquam deinde sternum remotum est clarius observari licuit, quod iam vel auspicatum vel animadversum est: dextra enim thoracis pars magis distensa fuit quam sinistra, pulmo dexter usque ad tertiam costam elevatus, eiusque inferiorem partem attigit diaphragma admodum globosum, durum et distensum; mediastinum denique ad laevam protrusum fuit, quam ob rem cor, suo loco sese extulerat et ad tertiam costam promoverat. Tela cordis, quamvis laxa et remissa, sana tamen erat, vasaque ex eo exeuntia salva et regularia erant. Pulmonis sinistri lobus superior cohaesionibus quibusdam cum pleuro costarum coaluerat; tunica eius serosa et parenchyma sana erant, nisi quod eorum pars posterior sero completa erat. Pulmo autem dexter compressus et adhaesionibus, quae facile distrahi poterant, cum pleuris coniunctus erat; sed in eo loco, ubi co-

stae maxime curvantur, validius coaluerat, ita ut, quum divellendi eum periculum fieret, tela pulmonis admodum tenuis et mollis rumperetur, quo factum est, ut statim duo folliculi hydatidosi, magni et subflavi promanarent; hi, quum rotunda illa diaphragmatis pars, quae cum inferiore dextri pulmonis lobulo concreverat, premeretur, longius promovebantur, sed remoto nisu, relabebantur. Quum caute secando perrexissem, factum est tandem, ut pulmo fere totus seiungeretur, sed basis eius separari non potuit a diaphragmate, quod, quia eodem modo cum fluctuante illa hepatis parte coaluerat, secando solvendum erat, qua sectione saccus inventus est innumeris hydatidibus refertus. Involucra eius tenuia, acephalocystides et colore et magnitudine pomo aurantiorum non dissimilia, purulento quodam et foetido humore, qui magna acephalocystidum intermortuorum copia mixtus erat, circumdabantur. Interius autem involucrum sacci asperum fuit et salebrosum stratis, calci similibus, ibi depositis. Acephalocystides, haud scio an plus ducentae fuerint, illa signa, quae supra statuimus, totae exhibuerunt; liquor, qui praeter has sacco continebatur octo scutellas complebat. In superiori sacci pariete fissura erat dimidiam vel tertiam quadripartiti pollicis partem adaequans, qua aditus patebat in dextrum pulmonem, in quo ulceratione cavum magnum sed abnorme formatum erat, quod plenum repertum est purulento ille humore et acephalocystidibus, quae ex hepatis sacco emanarant. Reliqua vero hepatis pars multis in locis cum diaphragmate intestinisque concreverat. Quibus omnibus dissectis clarius observatus est tumor ille fluctuans, qui, dum vixit foemina, sub brevibus dextri lateris costis eminuerat; formatus est autem simili, licet paullo maiori sacco hydatidoso, qui et magnam aquarum copiam, qua qua-

tuor lagenae congiariae implebantur, continuit et innumeram acephalocystidum multitudinem tenere vix potuit; praeterea in fundo sacci multae ex diruptis acephalocystidibus membranae praecipitatae deprehendebantur. Huius sacci margo inferior finitus est carne firme cum eo concreta, qui incisione facta renem dextrum, ex suo loco ad aperturam pelvis maioris remotum, ostendit; ceterum tela eius erat salva et incolumis. At vero tumor, qui, vivo homine, ad sinistrum hypochondrium pertinuit neque fluctuavit, et incisura ab eo, quem modo descripsimus, seiunctus fuit, constitit ex sinistro hepatis lobo, qui perquam extensus et in marginibus bulbose formatus fuit; cuius quidem color non ita variatus, sed parenchyma granulosum et magnis nucleis simile videbatur. Stomachus, lien et intestina mutata non erant; pancreatis caput intumuerat, tunica ovariorum serosa fere nigro colore eiusque tela rubro infecta erat; vesica urinaria et uterus valebant.

Vita.

Ego *Herrmann Scholber* patre *Ioanne Christiano*, matre *Carolina* e gente *Voigt* genitus, fidem evangelicam profiteor. Primas litteras postquam a domesticis praeceptoribus edoctus eram ad *Kieslingium*, qui gymnasio *Zizensi* sapientissime praeest deductus sum, a quo ad altiora studia praepararer. Ibi quum per octo annos moratus essem, maturitatis testimonio instructus anno millesimo octingentesimo quinto almam literarum universitatem Halensem petii et a rectore magnifico *Germar* inter cives academicos receptus, nomen apud *Krukenberg V. Cel.*, medicorum ordinis decanum, professus sum.

Ex illis autem disciplinis, quae medicinae studium praecedere vel comitari solent, his interfui: de psychologia et logice *Cel. Gerlachii;* de zoologia *Beat. Nitzschii;* botanicen et generalem et specialem me docuit *Cel. de Schlechtendal;* physicen *Cel. Schweigger;* chemiam *Beat. Schweigger-Seidel;* minerologiam *Cel. Germar.*

Quibus scholis auditis et tentamine q. d. philosophico adolescentibus medicinae studiosis praescripto, rite superato, ad ipsam medicinam animum applicavi, quam ut penitus cognoscerem hos audivi disserentes: de pathologia et therapia tam generali quam speciali *Cel. Krukenberg;* de phar-

macologia *Cel. Friedlaender;* de morbis syphiliticis ac de *Celso Cel. Rosenbaum;* de chirurgia et speciali et generali, de akiurgia atque fracturis et luxationibus, deque arte fascias rite applicandis *Cel. Blasium;* de arte obstetricia *Cel. Niemeyer.*

Scholas clinicas adii has: Medicam apud *Cel. Krukenberg* et chirurgicam apud *Cel. Blasium* per annum et dimidium; obstetriciam apud *Cel. Niemeyer* per annum dimidium.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas quas possum habeo semperque habebo gratias.

Theses controversae.

I.

Contendo cum Bremsero acephalocystides cum echinococci hydatidibus ad unum idemque genus pertinere.

II.

Typhus sanguinis potissimum est morbus.

III.

Non est certum signum infantem in utero esse mortuum.

IV.

Vulnus pectus penetrans illico claudatur necesse est.

V.

Hirudinum usus ad ophthalmias sanandas ex dyscrasia ortas omnino est reiiciendus.

LANE MEDICAL LIBRARY
300 PASTEUR DRIVE
PALO ALTO, CALIF. 94304